



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 11. Quid dicendum de consuetudine jurandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

sed is, cuius dicere debet, censetur juramentum exigere. Ita S. Thom. *suprà*.

*Dices.* Licet interdum exigere juramentum ab eo, qui prævidetur juraturus per falsos Deos, ut docet S. August. in c. *Movet. 22 q. 1.* ergo à pari, &c.

*Resp.* Disparitas est, quod juramentum quamvis per falsos Deos valeat ex parte jurantis ad faciendam fidem, & firmandum pactum; ac proinde potest esse medium utile ad avertendum grave damnum petentis. Licet autem ex gravi necessitate ab aliquo petere id, quod potest licite præstare, etsi prævideatur peccaturus. At perjurium cognitum non potest prodesse privato, ideòque non est justa causa illud non impediendi.

*Sed quid, si dubites, an alter sit peccaturus?*

*Resp.* Tunc potes exigere juramentum in re gravi: quia in dubio nemo præsumitur malus, aut peccaturus; & hoc potest esse utile ad recuperandum id, quod tibi debetur, nec aliter potes illud recuperare.

*Q. II. Quid dicendum de consuetudine jurandi?*

*Resp.* Quisque tenetur sub mortali consuetudinem jurandi sine necessitate vitare,  
&

& contractam evellere: quia hæc affert mortale periculum pejerandi, ut constat experientiâ, & ex cap. 26. de Jurejur. *Ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpe contingit.* & ex S. August. Epist. 89. *jurandi consuetudine & in perjurium sæpe caditur, & semper perjurio propinquatur.* Idem docent S. Chrylost. S. Isidor, &c. Ratio est, quia hæc consuetudo propter nimiam facilitatem & proclivitatem ex ea contractam constituit hominem in periculo morali jurandi leviter, ac temerè, ideòque sine consideratione sufficienti ad judicium prudens, ac certum de veritate, & consequenter in periculo jurandi falsum. At quisque tenetur sub mortali vitare, ac tollere periculum morale peccandi mortaliter; nam *qui amat periculum, in illo peribit.* Eccli. 3. Et quisque tenetur graviter velle efficaciter vitare peccatum mortale. Ergo &c. Hinc illud Eccli. 23. *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa... vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.* Quod verum est etiam de consuetudine jurandi absque advertentia an juretur, nec ne, ut rectè docent Suarez, Sanchez, &c. quia hæc consuetudo exponit periculo proximo incidendi in juramenta falsa, quæ, quamvis inadvertenter & sine animo jurandi prolata sint, habent tamen turpitudinem, ac difformitatem ob-

jectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali, & ratione cuius homo tenetur ea non velle, neque in se, neque in causa: quippe exterius sonant perjurium, & eum sensum ingerunt audientibus. Hæc autem iuramenta indeliberata sunt sufficienter voluntaria, ac libera in causa, nempe in consuetudine, & in negligentia eam extirpandi. A fortiori id verum est de consuetudine jurandi advertenter, & indiscriminatim sive verum, sive falsum, vel jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem: quia exponit proximo periculo jurandi falsum. *Ita Suarez, Azor, Sanchez & alii.*

## CAPUT V.

### *De vitis, & peccatis Religioni oppositis.*

**N**ot. Peccata Religioni opposita sunt ex genere suo mortalia, & cæteris paribus graviora iis, quæ fiunt contra alias virtutes morales, cum opponantur virtuti inter morales præstantissimæ. Hæc duplicis generis sunt: alia, quæ opponuntur per excessum, & nomine superstitionis comprehenduntur, non quod Deus nimium vero cultu coli possit, cum sit infinito honore, & amore dignus; sed quod adhibea-  
tur